

fieri posset cum maxima celeritate. Munitaeque sunt palpebrae tamquam vallo pilorum: quibus, et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur; et somno conniventibus, quum oculis ad cernendum non egeremus, utrique tamquam involuti quiescerent. Latent praeterea utiliter, et excelsis undique partibus sepiuntur. Primum enim superiora, superciliis obducta, sudorem a capite et a fronte defluentem repellunt. Genae deinde ab inferiore parte tutantur subjectae leniterque eminentes. Nasusque ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus esse videatur. Auditus autem semper patet. Ejus autem sensu etiam dormientes egemus; a quo quum sonus est acceptus, etiam a somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, quod posset, si simplex et directum pateret. Provisum etiam, ut si qua minima bestiola conaretur irrepere, in sordibus aurium, tamquam in visco, inhaeresceret. Extra autem eminent, quae appellantur aures, et tegendi causa factae tutandique sensus, et ne adjectae voces laberentur atque errarent, priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed duros et quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus; quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca et in fidibus testudine resonatur aut cornu: et ex tortuosis locis et inclusis soni referuntur ampliores. Similiter nares, quae semper propter necessarias utilitates patent, contractiones habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere: humoremque semper habent ad pulverem multaque alia depellenda non inutilem. Gustatus praeclare septus est; ore enim continetur, et ad usum apte, et ad incolumitatis custodiam. Omnisque sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum.

Cap. LVIII. Primum enim oculi in iis artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fictis, caelatisque formis, in corporum etiam motione atque gestu multa cernunt subtilius: colorum enim, et figurarum venustatem atque ordinem, et, ut ita dicam, decentiam, oculi iudicant; atque etiam